



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 888. Usque Ad Annum 1000

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1761**

**VD18 90117921**

§. 4. Olibanus Comes convertitur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66313)

videntibus, cibus se se ingurgitat. Illi Sæculum X.  
amotam fuisse viro mentem existiman- A. C. 983.  
tes illæsum relinquunt.

Cum ea calliditate barbaram hominum devotionem elusisset Romualdus, iter ingressus nudis pedibus & baculum manu tenens tandem Ravennam pervenit. Ibi cum Patrem habuisset, in proposito ad Sæculum revertendi obstinatum, compedes iniecit, vinculis ferreis repugnantem oneravit, verberibus acriter contudit, donec paternum corpus pessime afficiens animam sanavit, atque ad perseverandam in Monasterio compulit. Nam victa tandem est hominis pertinacia, mansit volens in monasterio, & superioris vitæ errata sancto fine emendavit.

§. IV.

*Olibanus Comes convertitur.*

At Olibanus Comes, amplissimis fundis filio relictis, iter in Italiam cum Abbate Guerino, Joanne Gradenico & Marino, nam Petrus Urseolus e vita migraverat, suscepit. Muli clitellarii quindecim Olibani thesauros portabant, cum vero Cassinum pervenit, familiares mirantes mœrentesque dimisit. Marinus *Chr. Cass.*  
Cassini haud diu moratus in Apuliam se *l. 2. c. 19.*  
contulit, & in solitudine degens tandem a grassatoribus gentis Arabicæ occiditur.



Sæculum X.  
A. C. 983.

Guerinus Abbas peregrinationibus af-  
fuetus cum Joanne Gradenico Jerosoly-  
mam commeare constituit, & licet Oli-  
banus, hoc eorum proposito comperto,  
cadentibus lacrymis rogaret, ne desere-  
rent virum pœnitentem, a Romualdo  
sibi tantopere commendatum, itineri se  
dederunt. Sed ecce, cum necdum pro-  
ximum campum emensi essent, equus,  
quo Guerinus vehebatur, calcitrans Gra-  
denici crus comminuit, qui ad montem  
Cassinum reverti coactus, ædificata pro-  
pe monasterium Cellula, annos ferme  
triginta ibi transegit, & vitam sanctam  
pari fine clausit. Olibanus post hæc Ab-  
bas Cusanensis fuit, & deinde Episcopus  
Alzonæ, ubi hodie solummodo tenuis  
pagus inter Carcaffum & Civitatem S.  
Papuli positus reperitur.

*Att. SS.*  
*Ben. Sæc. 6.*  
*p. 113.*

§. V.

*S. Nilus Calaber.*

*vit. interp.*  
*Carioph.*  
*p. 3.*

Sanctus Nilus quoque sub annum non-  
gentesimum octogesimum Cassinum  
venit. Is Roscianum, Calabriae Caput,  
unicam civitatem, cujus Græci domini  
erant, nam reliqua illius regionis Sarace-  
norum incursionibus vastabantur, pa-  
triam nactus, liberalissimam indolem li-  
terarum studiis excoluit. S. Scri-  
pturam manibus continuo terebat, &  
vitas Patrum legens mire delectaba-  
tur.